





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA 1730 9  
 DE  
**POENIS USURARIÆ  
 PRAVITATIS,**

PRÆSERTIM IN POMERANIA,

Quam,

Diyina Gratia Adjuvante,

EX DECRETO MAGNIFICI JURISCONSULTORUM ORDINIS

In Illustri Academia Gryphica,

PRÆSIDE

VIRO Magnifico, Excellentissimo, Consultissimo

**DN. PHIL. BALTHAS.  
 GERDESIO,**

ICTo celeberrimo, Regii Consistorii per Pomer. & Rug. Directore,  
 Professore in hac Alma Gryphica Ordinatio, Facultatis Juri-  
 dicæ Seniore, h. t. DECANO,

**FAUTORE AC PROMOTORE SUO**

*omni observantia colendo,*

**PRO LICENTIA**

Supremos in Jure honores & Privilegia doctoralia  
 legitime obtinendi


**ERUDITORUM EXAMINI**

*Ad Diem Septembr. MDCCXXX. submittit*

**MICH. NICOL. EICHMAN,**

Gryph. Pomer.

Illustri Regii Dicast. Advocatus.



**GYPHISWALDIÆ,**

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, R. A. T.



## PRÆFATIO.

**C**onscripteram quidem jam ante discessum ad Academiam Jenensensem Dissertationem quandam de Usu Practico Actionum bonæ fidei & stricti juris, quam nunc ut Inauguralem prælo committendi animus erat. Verum enim vero Seculum, in quo jam vivimus, usurarium autor mihi extitit, neglecto prioris Dissertationis argumento, aliud eligendi de Pœnis Usurariæ Pravitatis. Id quod sicut nostro ævo quam maxime est conveniens; Ita & Jubilæo Augustanæ Confessionis, hæctenus in hac Illustri Pomeranorum Universitate pientissimè celebrato, & adhuc celebrando, non adeo incongruum. Quisquis enim est, quem fugit, quod in ipsa Augustana Confessione speciale sit Caput, in Ordine decimum sextum, de Politia agens. Cujus cum principalis pars sit Pravitatis usurariae coercitio, quæ negligentius facta, totam Reipublicam molem, exhaustis Civium bonis, everti necesse est; Itætiã neminem mihi vitio vertere crederem, si pœnas in Usurariam Pravitatem tam in LL. universalibus, quam nostris particularibus Patria constitutas in usum revocem. Sed doleo quam maxime, me temporis, quod post valetudinem febris malignæ tandem restitutam mihi adhuc superfuit, injuria exclusum, & propter decurrens jubileum, banc materiam in multis præcipitare coactum fuisse. Sint interim Numini Divino acta gratiæ pro viribus hæctenus clementer concessis, cui & in posterum sit laus & gloria in Secula Seculorum.

Q. D. B. V.

\* )(3) \*

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
de

POENIS USURARIÆ PRAVITATIS.

CAP. I.

Exhibens generalia

de

Usuris, & usuraria Pravitate.

§. I.



Vid Usura sit, hodie vix uni ignotum est. Præterea ex Commentariis ad ff. & Cod. tit. de Usuris materiam usurarum plenius haurire licet. Breviter cum STRYCKIO in Annot. ad LAUTERB. tit. de Usur. Usuram describo, quod sit merces pro usu pecuniæ. De justitia vel iniustitia usurarum acturus hanc præjudicialem quæstionem juxta Jus divinum revelatum, Naturale, Civile, Canonicum, placita Imperii, & Constitutiones Patriæ considerabimus. De Jure divino revelato usuras quas-  
cunq; vel minimas, illicitas esse multi, olim præprimis, Theologi, Jcti, Moralistæ, & Politici statuerunt. Sed hodie plerique aliud sentiunt, quibus adstipulamur. Conf. FLEISCHER in seiner Einleitung zum geistlichen Recht / pag. 1098. Pariter cum Jure Naturæ usuras pugnare non unus docuit. Verum hanc sententiam æquè rejicimus, & Jure Naturæ permissum esse, usuras accipere, omnino statuimus. Jure Civili usuras approbari constat ex tit. ff. & Cod. de Usur. Verum Jure Canonico usuras improbari satis docet lectio titulorum in

X. & 6to de usuris. Verum Pontificii facietis fabricis & doctis dolis glaucoma ob oculos obijciunt, quia admittunt annuos redditus, qui revera instar usurarum sunt, Placita Recessuum pariter legitimas usuras admittunt. *Rec. de anno 1530. 1541. 1550. 1570. & 1577. tit. von wucherlichen Contracten.* Cum Recessibus convenit jus patrium. *Ord. Polit. Cap. 15.*

## §. II.

Quemadmodum vero usuras accipere legitimas res æqua & licita est; Ita è contrario, ultra eas quicquam accipere, prohibitum est, & ubi factum, dicitur usuraria pravitas, quæ variis est obnoxia pœnis. Usuraria Pravitas describi potest, quod sit delictum, quod committitur accipiendo usuras ultra modum lege vel consuetudine definitum. Quando usurariam Pravitatem dicimus delictum, tum supponimus legem prohibitivam, quæ vetitum est ultra quantitatem præscriptam usuras accipere.

## §. III.

Cum itaq; ex transgressione modi usurarum resultat usuraria pravitas; Ita jam qu. qualis sit legitimus usurarum modus? Non operæ pretium esse puto in decidenda hac quæstione diutius immorari Juri Civili Romano, cum per leges Imperii derogatorias jam certus usurarum terminus deprehendatur constitutus. Quod itaq; concernit Imperium Romano-Germanicum, generaliter dicimus, quod ibidem legitimus usurarum modus sit 5. in centum, per *R. I. de anno 1530. 1548. tit. von wucherlichen Contracten* | 1600. §. 139. & *R. I. de anno 1654. §. 174. conf. STRYCK. in Us. Mod. ff. de Usur. §. 10. TITIVM in Jure Privat. p. 579. §. 25. STRUV. in Jurispr. Rom.*

*Rom. Germ. for. L. 3. T. 20. §. 21.*, nisi per legem specialem hujus vel illius Provinciae aliud quoad modum usurarum sit constitutum, vel consuetudine receptum. *COTHM. Vol. II. Resp. 52. n. 197. §. 216. it. Vol. III. Resp. 27. n. 16. §. Vol. IV. Resp. 41. n. II. MEV. P. IV. D. 213. n. 5. in not. §. ad J. Lub. L. 3. T. 1. n. 2. n. 15. LEYSER. in Med. ad ff. Vol. IV. p. 870.*

## §. IV.

Ast exurgit hic quaestio: Utrum Princeps Imperii possit condere leges, Recessibus Imperii contrarias, adeoque excessum Usurarum, alias LL. Imperii publicis constitutarum, in suo territorio permittere queat? Dubium hic movent verba, quae in Recessibus Imperii deprehenduntur: *Wier Churfürsten / Fürsten / ic. gereden und versprechen auch in guten wahren Treuen die obbeschriebene Puncta und Articul stet / fest / auffrichtig / und unverbrüchlich zu halten / zu vollenziehen / und dencu nach allen unsern Vermögen nachzukommen / und zu geleben.* Ex quibus concludi posset, quod talis potestas Principibus Imperii omnino sit deneganda. Ast, quemadmodum Principes Imperii vi superioritatis territorialis omnino LL. condere possunt, id quod indubium, *STRYCK. in Us. Mod. ff. de LL. §. 5.*, adeo, ut etiam Juri Justiniano per illas derogari possit, *STRYCK. l. c. §. 7. conf. KEMMERICH in Introd. ad J. Publ. L. 7. C. 5. §. II. & ibi all. Aut*; Ita etiam illis competit facultas, ratione suorum *Subditorum*, leges, Recessibus Imp. contrarias, in suo territorio condere. Nec obstant hic verba superius adducta, quibus Recessus Imperii solent concludi: Nam haec eatenus vera sunt, ut, si Recessus Imp. disponit, aut definit, quod spectat Imperatorem, aut Status

Status inter se, unus Princeps in præjudicium aliorum  
 Constatuum jus omnium consensu constitutum, aut  
 receptum, mutare nequeat. Quo ipso tamen ei non  
 est interdictum, quo minus generalia illa Imperii pla-  
 cita pro salute suorum subditorum, atque necessitate  
 territorii sui, vel limitare, restringere, vel etiam abro-  
 gare possit. Et quid multis! Constat enim, quod  
 Assessoribus Camerae & Judiciis Aulicis hæc norma judi-  
 candi sit præscripta, ut lites decendant prius juxta LL.  
 provinciales & locales, his autem deficientibus, juxta  
 Jus Justinianæum & Recessus Imp. KEMMERICH *loc. supra*  
*cit. §. 3. & ibi add. Ord. Cam. P. I. T. 13. §. 57. ibi; Län-*  
*dischen Ordnungen / R. Hoffr. Ordu. T. I. §. Und weilt*  
*denn / ibi: Wie auch jedes Standes und Landes / ic.*  
*gute Ordnung / und Gewohnheiten / und in Mangel*  
*derselben die Käyserl. Rechten. Qui amat plura hac de*  
*re scire, conferre potest DN. MEV. in Comm. von wu-*  
*cherl. Contracten / P. I. C. 2. §. 15. p. 21. & C. 4. §. 1. p. 38.*  
 STRYCK. *in Us. Mod. ff. de LL. §. 8. quibus accedit Ma-*  
 gnificus DN. PRÆSES *in Colleg. privat. disput. ad Institut.*  
*Justin. Exerc. I. thes. 8.*

## §. V.

Discussa quæst. præjudiciali de potestate Principis  
 legislativa contra Recessus Imp., jam facile erit judi-  
 cium ferre de altera quæstione: Utrum Princeps ex-  
 cessum Usurarum, e. gr. ut 6. pro 100. solvantur, con-  
 tra Constitutiones Imp., quibus 5. in 100. modò sunt  
 constitutæ. (*vid. §. 3.*) permittere possit? Quod nos  
 omnino affirmare oportet per deducta in §. præced. Nec  
 desunt in Imperio provinciæ, in quibus revera semisses  
 præstantur, & etiam approbatæ sunt, quemadmodum  
 hoc



hoc testatur, DN. MEV. in *Comm. von wucherl. Contracten*  
*P. 1. C. 6. §. 8. & C. 7. §. 5.* quoad Ducatum Bremensem.  
 Sic & DN. STRYCK. in *Uf. Mod. ff. de Usur. §. XI.* de variis  
 locis idem affirmat. Sed vid. LEYSER. in *Med. ad. ff.*  
*Vol. IV. p. 873. & 874.*

## §. VI.

Sed quid de Pomeraria nostra? qualis usurarum  
 modus in hac est legitimus? Sunt quidem nonnulli  
 Dd. statuentes 6. in 100. permissas esse, prout hanc  
 opinionem fovet BRUNNEM. *ad ff. de Cond. indeb. p. 429.*  
*n. 5. LUDOVICI in Doctrina ff. tit. de Usur. §. 3.* Et STRYCK.  
 quoque putat in Pomerania specialiter esse receptum,  
 ut, si usurae nullae expressae, quinque pro centum tan-  
 tum debeantur, si vero sex pro centum promissae, hae  
 praestari debeant. Conf. *Ejusd. Tract. de Caut. Contr.*  
*S. 2. C. 1. §. 25., & ibid. alleg. DN. MEV. P. 4. D. 205.* ubi  
 singulariter statuit, quod, receptis in Imperio quincun-  
 cibus, inter licita redactum sit usuras semisses stipulari,  
 cui asserto contradicunt JCTi ALTORFF. in *Conf. XXXVI.*  
*n. 13. Vol. 2. & ibi all. Dd.* Verum SCHEPLITZ in *Promptu-*  
*uario Juris tit. de Usur. 19. n. 5.* ita scribit. *Et has usuras*  
*semisses in tota Pomerania, praesertim, ut compertum habeo, in*  
*Dioasterio Wollgastano frequentari, omnibus locorum illorum inco-*  
*lis notum est.* Nec horum sententia infirmo videtur niti-  
 tulo: Nam expresse est constitutum in Recessu Pro-  
 vinciali de dato Alten Stettin den 18. Martii 1616. quod  
 sex in centum in Pomerania debeant esse permissae.  
 Verba ita sese habent: die wucherl. Contracte darauff  
 der 8te Haupt. punct gerichtet / wollen wier auff der Land-  
 Stände einhelligen Beschlus durch ernste Mandata auff  
 den vorigen alten Schlag öffentl. verbieten / und soll ins-  
 gemein

gemein mehr nichts / als NB. Sechs von Hundert  
 zugelassen seyn. Conf. L. A. de 1566. den 27. Septembr. S.  
 Bier befinden auch /r. Hoffg. Vist. Recess. de 1616. T. 65. S.  
 Wie estimation, &c. in fin. add. Mey. P. 8. Dec. 185. not. 2.  
 & ibiallegata Constitutio Ducum Pom. de anno 1567.  
 den 1. Maji. His accedit & hoc, quod in antiquis Oblig-  
 ationibus plerumque 6. pro Cent. deprehendantur.  
 Aft, quicquid sit de Jure veteri Pomeranorum, res  
 hodie certa est, quod in Pomerania citeriori 5. in 100.  
 modò sit justus usurarum modus. Nec indiget hoc  
 ulteriori probatione, postquam id non solum ita con-  
 stitutum est in der renovirten Pollicey-Ordnung / de anno  
 1681. C. 15. von wuchers. Contracten / lbi: Und. à dato publi-  
 cationis dieser Ordnung bey angedroheter Straffe nicht  
 mehr dann vermöge des Reichs. Schluss 5. PRO CEN-  
 TUM (vid. Constit. von Kirchen-Schulden p. 4.) zu neh-  
 men; sed etiam repetitum in der so genandten kurthen  
 Vorstellung derer in der Pollicey-Ordnung taxirten Ver-  
 brechen / und darauff gesetzten Straffen / so der vorhin  
 angeführten Pollicey-Ordnung annectivet / Cap. 15. in verb.  
 Wer über 5. pro centum als Reichs- und Landes-sittliche  
 Zinsen nimmt / soll das gestipulirte Interesse nebst den  
 halben Theil der ausgeliehenen Summen verliehren / r. r.  
 Porro hæc ultima verba verbotenus repetita sunt non  
 tantum in dem Extract, und wiederholten kurthen Vor-  
 stellung vom 19. Maji 1702. derer r. r. C. 15., sed &  
 in dem Extract der Pollicey-Ordnung de anno 1719. den  
 30. Jan., auch in dem renovirten Patent wegen der Pollicey-  
 Ordnung vom 1. Febr. 1723. Cap. 15. Nec desiant præjudicia.  
 Camera Imperii non nisi quincunces adjudicare solet  
 MERSCHNER 1. Dec. 12. KLOCK. 2. Conf. 40. Ita etiam in  
 Pome-

Pomerania & olim ante Ord. Pol. Pomeran. de 1681. superius adductam fuit decisum, teste sententia Prioritatis Secl. THOMAS Steinfellers Creditorum in Dicaſterio Wolgaſtano anno 1671. den 15. Martii publicata, quamvis plus quam 5. in 100. erat petium, & in eadem Juridica Eccleſiæ Wildbergenti contra Conſiliarium Regiminis & Prælatum JOACH. CUNOW von Oſtinen & Conſortes etiam quincunces modo adjudicata. Qvod & factum in eod. anno den 21. Junii in cauſa Concurſus CARSTEN WULFFEN, weyland auf Reſchow geſeſſen / ue & den 12. Julii ej. ai. in cauſa Concurſus ERNST LUDEWIG von Rabden / weyland zu Salepow / Hinrichshagen und Süſſow geſeſſen. Ex quibus præjudiciis partim apparet, nec in piis cauſis aliud obtinere, qvod etiam expreſſa lege ſancitum eſt. *Conſt. von Kirchen-Schulden ſ. 2. ibi: und auf 5. pro Centum geſeſſet.* Nec contraria præjudicia, quantum quidem nobis conſtat, ad huc uſqve tempus exſtant. Qvod attinet ad literas cambiales, obſervantia in patria docet, in illis 6. pro Cent. plerumq; promitti & promiſſas accipi, nec ſolutas repetitas, aut in ſortem imputatas, nec accipientem veluti uſurariam pravitatem eo ipſo comittentem pœnis in eam conſtitutis obnoxium redditum unquam eſſe, quamvis, ſi res ad proceſſum pervenit, illæ in Judiciis non adjudicentur, ſed tantum 5. in 100., quemadmodū ita ab Illuſtri Facultate Gryphiſw. in cauſa quadam è Megapoli ad Facultatem tranſmiſſa decisum, à Magnifico DN. PRÆSIDE relatum accepi. *Conſ. Acta Mercatoris Sundeniſis J. A. TEETZEN contra DN. Comitem Imp. DE KÜSSOW in Regio Dicaſterio Gryphiſw. ventilata.* Deinde nec inter Mercatores majores quin cuncibus

cuncibus, nisi aliud consuetudine obtinet, admitti, communis tenet sententia, MEV. ad Jus Lub. L. 3. tit. 1. art. 2. n. 15. § 16. CARPZ. P. 2. C. 30. D. 2. RICHT. P. 2. Dec. 74. n. 43., dubitat tamen de ejus veritate non prorsus sine ratione BRUNNEM. ad L. 26. C. de Usur. eo quod Lex generalis non tollat priorem specialem, sed recipiat declarationes juris communis, CARPZ. P. 3. C. 29. D. 6. n. 7. vid. tamen *Ordin. Pom. Cap. 15.* ibi, wes Standes / Condition oder wessen die auch seyn. Creditoribus, quitempore novissimarum belli calamitatum in publicos patriæ usus & necessitates pecuniam crediderunt, publica autoritate 6. procent seu semisses usuræ promissæ sunt, quas possessores bonorum domanialium hodieque ex horum fructibus percipiunt. Alius casus, quo 6. procent. licitæ sunt, habetur in Patent von 1714. den 25. Octobr., quod confirmatum in Patent vom 18. Jan. 1722. Quod concernit Pomeraniam ulteriorem, dicit DN. LEYSER. in *Med. ad ff. Vol. IV. pag. 873.*, se ex Actis, ex hac Provincia Helmstadium missis, observasse, prohibitionem usurarum semissium adhuc hodie severissime servari, nec contrarium vicinæ Marchiæ exemplum quicquam huc usque potuisse. Sed quid de centesimis usuris (Monath-Zinsen) 12. pro Cent. erit dicendum? Num illæ in Pomerania nostra obtinent, nec ne. Possit quis hanc quæstionem reputare Domitianam. Nam in superioribus nos modo quincunces admisimus, semissibus omnino damnatis. Sed tamen hæc quæstio olim in Pomerania nostra in consultationem venit, an illæ in genere sint prohibendæ, vel certo respectu, aut in Contractibus inter Mercatores celebrandis possent subsistere? Hæc quæstio deprehenditur proposita

posita in Rec. Provinciali de 1616. superius adducto.  
Ibi: Fürs achte Stunden wiet im Wercke / r. r. & paulo  
post: begehren aber 150 der Landstände reiffes Beden,  
cken / r. r. was hierin zu constituiren / ob die Monath-  
Zinsen ins gemein / und ohne Unterscheid zu verbieten /  
oder mit dieser limitation zuzulassen / wann jemand ein  
Stück Geldes auffleihet / dasselbe nach einem / zween /  
oder dreyen Monathen wieder abgiebt / das alsdann auf  
den Monath eins pro Cento genommen werde / NB. in  
dieser Betrachtung / das dem Creditorn die Gelder auf-  
serhalb Umbschlags / und zu unbequemer Zeit abgelegt /  
er sie so balde nicht wieder unterbringen kan / dem Debi-  
torn gleichwohl damit gedienet / das er in eiligen Nöthen  
Geld bekommen / dasselbig / so bald er kan / wieder ablegen  
mag / und es ein ganz Jahr zu behalten / und zu verzinßen  
verbunden ist ; Was aber Kauffleute belanget / wann die-  
selbe unter einander handeln / das denen Monath-Zins /  
oder Kauffmanns-Interesse, wie zwischen ihnen herkom-  
men / zu nehmen unverbotten bleibe / jedoch in den Gerich-  
ten / wanns zur contradiction kömmt / darauf nicht gespro-  
chen / oder verholffen würde / r. Quemadmodum vero hæ  
usuræ centesimæ per verba ejusdem Recessus Provinc.  
die wucherliche Contracte, &c. &c. & ibi: Und soll ins-  
gemein mehr nicht / als sechs von hundert zugelassen seyn /  
Iam superius quoque adducta penitus improbatæ. ; Ita  
& illæ eo minorem hodie merentur considerationem,  
postquam per LL. provinciales superius adductas gene-  
raliter 5. in 100. ut usuræ justæ atque legitimæ non  
tantum sunt constitutæ, sed & usuræ centesimæ sub  
gravi pœna penitus proscriptæ. Sic enim verba Ord.  
nostræ Pol. sonant: Ingleichen soll der Monden- und  
Wochen-

Wochen-Bucher hiemit gänzlich abgeschafft und ver-  
 botthen seyn / *u. id quod etiam repetitum in der so ge-*  
*nannten kurzen Vorstellung / Cap. 15. in verb. Wenden-*  
*und Wochen-Bucher wird bey Straffe der Verfallung*  
*des ausgehehenen Capitals verbotthen / &, quæ postea*  
*subsecutæ sunt, legibus superius adductis. Nec aliter*  
*Lubeca servari constat ex Ord. Pol. ibidem anno 1620.*  
*publici juris facta, quam MARQUARD de Jur. Mercator.*  
*L. II. C. 4. p. 500. n. 39. adducit, quæ quoad pœnam ex*  
*asse cum nostris legibus patriis conspirat, quanquam*  
*DN. STRYCK. in Us. Mod. ff. de Usur. §. 13. observat, has*  
*centesimas usuras speciali quodam Edicto Regis Borus-*  
*siæ de 1701. den 4. April. in causis cambialibus, ubi*  
*ad breve tempus pecunia mutuo data, approbatas esse.*

§. VII.

Canonistæ Usurarium dividunt in eum, qui est  
 manifestus, & qui est occultus, de qua divisione videre  
 est COVARR. L. 3. Resol. C. 3. n. 4. quam divisionem notare  
 juvat, quippe usus se exseret, ubi de pœnis agetur.

CAP. II.

de

*Modis, quibus committitur usuraria Prævitæ.*

§. I.

**J**AM transimus ulterius, & quæ: Quot modis usura-  
 ria Prævitæ exerceatur? Supervacaneum putamus  
 longiori horum recensio immorari. Conferat, cui  
 volupe est, *Reformat. Polit. Imp. de anno 1530. tit. 26., & de*  
*anno 1577. tit. 17. §. 1. seqq., ut & Ordinat. nostram Poli-*  
*ticam, sæpius jam supra adductam, C. 15., in quibus*  
*varii casus recensentur.* Quinimo DN. STRYCK. *in*  
*Us. Mod.*

*Uf. Mod. ff. tit. de Usur. §. 30.* ipsemet fatetur, quod, sicuti artes, in fraudem legum inventæ, infinitæ; Ita & plures usurariæ pravitatis modi excogitari possint. Quemadmodum vero hi in Recessu Imperii de anno 1530. generaliter prohibiti; Ita & hoc etiam factum in nostra Ord. Politica in verb. *Wüter was Schem und pratext sie auch gebrauchet werden mögen.*

## §. II.

Cognito legitimo modo usurarum, inde, quot modis usuraria pravitas committatur, nunc facile cognoscitur, quis Reus usurariæ pravitatis sit habendus? Generaliter dicimus; Omnis excessivas accipiens usuras, id quod fundatum tam in *Reform. Pol. Imp. in §. preced.* adductis, in verb. *durch niemands / was Würden oder Standes der seye / quam etiam in nostra Cap. 15. Ibi: Was Befehlen Bier auch hiemit / NB. einem jeden / ic. & paulo post: Daseru jemand / ic. Conf. & clausula Ord. nostræ Polit. in fin. adjuncta, in verb. Auch niemand / er sey / wer er wolle / hoch oder niedrig / & quæ mox ibidem porro sequuntur. Hinc etiam Clericus COVARR. L. 3. var. Resol. C. 3. n. 3. Sed an ille est reus usurariæ pravitatis, qui legitimas usuras è sorte mutanda statim detrahit? Quod ad Jus Civile attinet, id quidem nonnulli negant, cum hoc permissum sit usuras in antecessum solvere per *l. 57. pr. de Pact. l. 122. ff. de V. O.* Purat tamen DN. LEYSER. in *Med. ad ff. Vol. IV. p. 859. bas LL. ff. per l. 26. Cod. de Usur.* hac in parte sublatas esse. Sed quicquid sit de Jure Civili, quæstio proposita de moribus Christianis omnino est affirmanda. STRUV. *tit. de Usur. tb. 57. ibique PETR. MÜLLER. lit. a.**

Concedunt quidem nonnulli Dd. hanc usurarum anticipationem piis causis; Verum nec hoc DN. LEYSER. *loc.* superius adducto admittere vult, ex ratione, quod in iis non possit esse justum, quod alias injustum. Sed quid de Judæo? Videtur dicendum, quod his majores usuras, quam alias concessum, exigere, atque accipere liceat. Constat enim ex Edicto CAROLI V. de anno 1544., ut & FERDINANDI I. de anno 1562., illos in specie esse exceptos; Ast, cum notum sit, hoc hominum genus ipsa quasi natura lucri, atque pravitatis usurariae quam maximè cupidum esse, adeo, ut nihil non bonum putent, si modo pecuniam corradere possunt, si vel hoc fiat cum maxima aliorum hominum oppressione; Ita eò magis consultum est, ne his adeo laxæ in exigendis usuris concedantur habentia. Quod sicut in bene constituta Republica, ubi alias Judæi telerantur, nec concessum; Ita & in Reform. Polit. de anno 1577. tit. 20. von Jüden und ihrem Wucher / §. 6. eis quincunces saltem permittuntur. Conf. hic REINCK. *de Reg. Sec. L. 2. Cl. 2. c. 3. n. 16. & c.* BARTH. *in diff. cas. 576.*, & DN. STRYCK. *in Us. Mod. ff. de Usur. §. 14. & 15.* Add. Conf. ANONYMI in causa der Stadt Franckfurt am Mayn contr. Jud. in pro. usurariae pravitat scriptum *Spira 27. Sept. 1613.* ubi statuitur, quod nec observantia contraria, nectacito populi consensu, ut pote contra bonos mores, hæc Judæorum pravitas usuraria convalidari possit. Sed an Contractus inter Mercatores, majores usuras, quam quæ in regione receptæ sunt, continens, pro usurario habendus? Vid. pro & contra apud BARTH. *in Diff. 575.* RICHTER. *Dec. 74. n. 16.* Conf. quæ supra de hac quæstione anticipavimus.



mus. Quod attinet ad Notarium, Contractum usurarium conficientem, putamus, eum quidem non esse reum usurariæ pravitatis; Attamen perjurium committere, & ideo infamia notari, officioque cadere dicunt, *arg. l. jubemus §. fin. C. de Testam. GAILL. 2. Obs. 4. n. 2. MEV. in Comm. von wuchers. Contracten P. I. C. 5. §. 12. p. 55.* Qui de mercibus & pecunia sociis pro lucro prospicit, & inde partem conventam lucratur, licet illa longe usuras legitimas excedat, tamen eum usurariæ pravitatis reum non esse, nec mox sequi, contractum illum, cui mutuuum causam dedit, ob utilitatem quincuncibus usuris majorem illicitum & usurarium esse, etiamsi ad dimidium quis læsus sit, (quod tamen cum cautione acuta intelligi debet, ne fraus legi fiat,) statuit LYNCKER. *Resol. 220.* Proxenetam contractus usurarii, & notarium scribentem contractum ad restitutionem usurarum teneri volunt, LUDOV. *Roman. sing. 275. & 730. Hippol. Marsil. in sing. 181.* Sic nec quoad pœnam usurariæ pravitatis reus est, qui ex stipulatu usurarum illicitarum petit non illicitas, MEV. *P. 6. Dec. 402.* DN. LEYSER. *in Med. ad ff. Vol. IV. p. 887.*, ibiq; præjudicium Jctorum Helmstadiens. de ao. 1717. Quemadmodum nec ille damnandus, cui illicitæ usuræ sunt promissæ, cum non accepit, MEV. *P. 8. Dec. 185. ab HAGEN de Usur. C. 5. n. 44.* Multo minus ille est reus usurariæ pravitatis, cui promittitur, ipso non stipulante, usura excessiva, ubi eam non accepit, etsi instrumentū retinet, & pròducit. MEV. *P. 8. Dec. 184.* Sed quid dicendum de eo, qui usuras illicitas sibi expresse stipulatus non est, eas tamen oblatas ultro accepit? Atq; hunc etiam usurariæ pravitatis reum fieri dicendum videtur, quia acce-

acceptione illegitimarum usurarum hoc crimen quam maxime contrahitur. *Ord. Polit. Cap. 15.* Ibi: bey ange-drohter Straffe nicht mehr denn 5. pro cent. zu neh-men. Equidem ad pœnam infligendam *in. Ord. Polit. Pom. d. Cap. 15.* conjunctim requiri videtur, ut quis sibi-illicitas usuras promitti curaverit, & eas etiam acce-perit propter verba *d. Ord. Welcher über Landes-sitt-liche Zinsen nimmt / das gestipulirte Interesse nebenst den halben Theil x.* Ast vox gestipulirte exempli gratia posita non restrictive accipi debet, inde postea solum verbum: **Nehmen** / ponitur. Et hæc etiam sufficienter dixisse de Reus usurariæ Pravitatis.

## §. III.

Supereft, ut, priusquam de Pœnis usurariæ Pra-vitatis agamus, brevissimis quoque mentionem faci-amus Negotiorum, in quibus usuraria pravitatis possit committi. Sunt quidem nonnulli *Bd.*, qui hanc sœvent sententiam, quod in Mutuo tantummodo ea committi possit, in quorum numerum etiam est referendus, *KLOCK. Tom. 2. Conf. 54. n. 26., & Tom. 3. Conf. 131. n. 115.* Ast, quod & aliis negotiis, quam soli Mutuo, illa in-esse possit, omni caret dubio. Exemplum sit in annuis redditibus. Quamquam enim hi Jure quidem Civili sint incogniti, sunt tamen Jure Canonico, moribusq; saris noti, sicut & de eorum praxi testantur, *GAIL. 2. Obs. 5. & 7. TABOR. de altero tanto P. 1. Art. 5. seqq. BERLICH. P. 2. Dec. 168. n. 30.* Sicut itaq; hi annui redi-tus, utpote moribus recepti, atq; *LL. Imperii* appro-bati, vel ideo per se non improbandi; Ita tamen hi possunt fieri injusti, si modum, *LL. Imperii* definitum, adeoq; quantitatem usurarum legitimarum excedunt, & in

& in usurariam degenerant pravitatem, id quod etiam  
 expresse prohibitum tam in *Ord. Polit. Imper. de anno 1548.*,  
 quam in *Ord. Polit. de anno 1577. tit. 16. §.* und nachdem *ic. ic.*  
 Ibi: und was darüber gegeben / genommen / oder gehan-  
 delt / wollen Bier dasselbige / und alle andere unziem-  
 liche Pacta und Geding NB. für wucherlich und unträff-  
 tig gehalten / *ic.* Conf. hic *RICHT. Dec. 74. n. 12.* *FRANZ.*  
*L. 1. Resol. 1. n. 57. §. 108. it. Resol. 2. n. 67.* Sed qu., an  
 usuraria pravitatis possit committi in Emtione vendi-  
 tione cum pacto de retrovendendo? Negat hoc *LYNCK.*  
*Dec. 1130. §. 237.*, ut & in *Resp. 182. n. 18. §. 22.*, quod etiam  
*LL. nostris*, in quibus pactum Retrovenditionis non  
 per se, sed pravitatis usuraria, sub hoc sapienter latitans,  
 reprobatur, convenit. Textus est expressus in *Cap. 5.*  
*X. de Empt. Vend. Cap. 4. X. de Pign. Reform. Polit. Imp. de anno*  
*1548. tit. 17. §. 1. §. 7.*, nisi sit usurarius contractus in ven-  
 ditione simulata, *LYNCK. Dec. 451.*, aut, si res plane  
 modico pretio emta fuerit, ubi præsumtio pro usuraria  
 pravitatis locum invenit, conf. *LYNCK. R. 27. Vol. 2.*  
*STRYCK. in Us. Mod. ff. de Usur. §. 34.*, ut & *DN. LEYSER.*  
*in Med. ad ff. Vol. IV. p. 896.* Sed quid de Antichresi? An  
 etiam in hac pravitatis usuraria committi potest? Gene-  
 raliter quidem dicimus, sicut Emtio venditio sub pacto  
 de Retrovendendo per se, id quod in modo præceden-  
 tibus evictum fuit, non improbanda; Ita & hoc pactum  
 antichreseos omnino subsistere posse, prout hoc etiam  
 statuit *DN. MEV. in Comm. von wucherl. Contracten / P. I.*  
*C. 5. §. 8.* Sed tamen in quæst. præcedenti resolvenda  
 cum *DN. COCCEJO* omnino distingvendum erit, an fructus  
 sint certi, an vero incerti. Si prius, hi non possunt legiti-  
 mum usurarum modum excedere, & si nihilominus

C

in illis

in illis deprehenditur excessus, antichresis pro usurario Contractu merito habetur, COCCEJ. in *Jure Contr. ad LAUT. tit. de pign. act. quæst. 5. p. 699.*, quinimo renunciatio exceptionis computationis fructuum in sortem continet usurariam pravitatem, uti statuit LYNCK. RZ. 28. n. 15. Vol. 2. Qvin, ne quidem debitorem judicialiter renunciare posse excessui usurarum in Antichresi docet LYNCK. Dec. 906. Quo ad posterius, si scil. fructus sunt incerti, modicum excessum in praxi non computari solere statuit COCCEJ. *loc. supra cit.*, quam suam sententiam quoque duobus ab Eo adductis præjudiciis confirmat, conf. TITIVS in *Jure Privato p. 545. §. 15.* Denique & in aliis Contractibus tum usuraria pravitas committi potest, ubi in iis quantitati pœna conventionalis ultra legitimas usuras adjecta est, l. 44. ff. de Usur. LAUT. TERB. in *Disf. de Pœna conventionali Thes. 54. & 55.*

CAP. III.

De

*Pœnis Usurariae Pravitatis.*

**R** Effat tandem, ut etiam quam brevissimis agamus de Pœnis, in usurariam Pravitatem constitutis.

§. I.

Prima pœna est, quod pactum usurarum illicitarum sit nullum. *Ordin. Pol. Imp. de anno 1577. tit. 178. MEV. Levam. inop. debit. p. 225. n. 37.* adeo, ut nec confirmetur per Juramentum, c. 13. X. de Usur. CARPZ. l. 5. tit. 12. RZ. 9. n. 24. MASCARD. de Probat. Vol. 1. Conclus. 447. n. 13. & seq. BOEHMER in *Jur. Eccles. L. 2. Tit. 24. §. 26. Disf. COTHM. Vol. 1. RZ. 18. n. 213. BERL. P. 2. Dec. 268. n. 9.* conf. etiam LYNCKER *Resol. 220.* nec etiam per senten-

sententiam, MEV. in *Comm. von wucherlichen Contracten/*  
*P. 1. C. 6. §. 2.* quoniam nec talis sententia transeat in rem  
judicatam, BESOLD. *P. 2. C. 57. n. 83.* Hinc nunc sequi-  
tur, quod ex tali pacto nulla ad petendas illicitas usu-  
ras detur actio, & si de facto intentetur, tum compe-  
tat tam ipsi Debitori exceptio usurariae pravitate, cui  
frustra renunciatur, MÖLLER *Semestr. Cap. 19. n. 5.* MEV.  
in *Levam. inop. Deb. p. 225. n. 37.* LEYSER. in *medit. ad ff.*  
*Vol. IV. ibiq; Respons. JCorum Helmstad.* quam etiam Con-  
creditoribus, veluti in Concursu Creditorum, prout  
statuit STRYCK. in *Uf. Mod. ff. de Usur. §. 46.* item fidejus-  
soribus, BRUNNEM. *ad L. 20. C. de Usur. n. 1.* Atque hæc  
exceptio literis quoque cambialibus opponi potest,  
LYNCKER. *Resol. 216.* locum quoque habet in Processu exe-  
cutivo, modo utroque casu in continenti probari potest,  
alias ad reventionem rejicitur, SCHILTER. *Exercit.*  
*ad ff. 8. §. 21. in fin.* LYNCK. *Resol. 220. Et Rz. 105. n. 8. Vol. 2.*  
CARPZ. *2. D. 146.* Procedunt Dd. ulterius statuendo,  
hanc exceptionem etiam adversus judicatum, & ipsa  
in executione, dummodo in continenti probari possit,  
opponi posse, BERL. *Conclus. 84. n. 56.* STRYCK. in *Uf. Mod.*  
*ff. de Usur. §. 50.* ibique *all. Dd. add. BARTH. Disf. 574.* &  
si rejicitur, à sententia appellare licere, prout statuit  
LYNCKER. *Rz. 40. n. 5. Vol. 1.* quod ubi factum, nec posse  
citra attentati vitium contra eum, pendente appellati-  
one, executionem fieri, LANCELLOT *de attentat. P. 2.*  
*C. 12. prefat. n. 101.* Quoniam datur hæc exceptio etiam  
contra hæredes usurarii, prout sentit MARTINI in *Proc.*  
*Sax. Tit. 39. §. 1. n. 277. 278. Et 283. add. STRYCK. in Uf. Mod.*  
*ff. de Usur. §. 47.* Sed quæritur, an pactum usurarium  
Contractui alias per se licito adjectum vitiet totum  
C 2 Con-

Contractum? Videtur dicendum, quod sic: Ita enim verba *Ord. Polit. Imp. de anno 1577.* Allen Richtern / geistlichen und weltlichen gebietend / wen solche wucherliche Contracte und Partiten für sie bracht / daß Sie dieselben unwürdig / kraftloos / und unbündig erkennen / und auff solche Contract keine execution oder Bollziehung thun / oder verhelffen. Verum hæc adducta verba non ad totum instrumentum, sed tantum ad pactum illicitum instrumento adjectum referenda esse, DN. LEYSER. in *Medit. ad ff. Vol. IV. p. 888.* vel inde probat, quia ipsa constitutio Imperii sceneratorem non nisi quarta parte sortis mulctat, residui vero petitionem eidem salvam relinquit, pro qua sua sententia quoque adducit Responsum Jctorum Helmstad. conf. BERGER *Resolut. ad LAUT. p. 447.* ibique præjud. Jctorum Witteberg. add. MEY. in *Comment. von wuch. l. Contr. P. I. C. 5. §. 10. p. 54.* GAIL. 2. *Obs. 4. §. 5.* BARTH. *Diff. 574.* Quod si Debitor promissas usuras immodicas solverit, licet sciens, se ad eas solvendas jure non obligari, tamen eas condicit. indeb. repetere potest tam à Creditore, quam hujus hærede, STRYCK. in *Us. Mod. ff. de Usur. §. 47.* BRUNNEM. ad l. 26. *ff. de Condict. indeb. n. 2.* MEY. in *Comment. von wuch. l. Contr. P. 1. Cap. 5. §. H. p. 54.* conf. STRUV. *Dec. Sabbath. 2. c. 24.* JOH. à SANDE *L. 3. tit. 14. def. 7.* Phippi *Dec. VIII. Obs. 3. n. 1.* add. STRYCK. in *Us. Mod. ff. de Usur §. 47.* Quinimo usurarii bona pro restitutione usurarum tacite obligata esse multi contendunt, BERL. *Concl. 67. n. 80. §. 81.* ubi plures dissentientes simul adduxit. Verum qui solvit immoderatas usuras, consultius agit, & sibi prospicit, si usuras ultra legitimum modum usurarum solutas de sorte detrahat. Etenim Debi-

Debitorem eas posse in sortem imputare evidens est ex *L. 26. §. 1. C. de usur.* quod etiam illi debitori licere existimamus, qui immodicas usuras debitori sponte obtulit vel obtrufit plane, *LEYSER. in Medit. ad ff. Vol. IV. pag. 897.* vid. *BLUM. in Proc. Cam. tit. 39. n. 95.* qui in varios casus præjudicia Cameralia produxit eo tendentia, quod 6. pro 100. solutarum usurarum nulla habitafuerit ratio, quæ tamen alii restringunt ad eos casus, ubi quæstio desuper mota non est.

## §. III.

Ista Pœna usurariæ pravitatis est Infamia *l. 20. C. ex quib. caus. infam irrog.*, quæ ipso jure inferitur, si usurarius est manifestus, i. e. si usurarius confessus aut convictus sit in judicio, alias, si scœnus, ut non raro fieri solet, occultè exercetur, sententiâ opus esse putat *B. DN. Dir. MASCOVIUS in Colleg. MSto ad ECKOLT. tit. de His qui not. inf. §. 9. COVARR. L. 3. Resol. c. 3. n. 2.* hanc autem sententiam saltem declaratoriam esse, per consequens Usurarium non-infamem fieri à tempore sententiæ, sed mox à tempore delicti statuit *BRUNNEM. ad modò alleg. L. 20. C. n. 3.* Præsupposita itaque infamia, Jure Civili in Usurarios constitutâ, porro sequitur, quod nequeant esse testes, omnibus officiis atque dignitatibus indigne habeantur, *Consil. Alt. 36. n. 8. Vol. 2.* non admittuntur ad Juramentum suppletorium, quamvis semiplenè probaverint, id quod tamen fallit, si plus quam semiplenè probatum esset, *BERL. P. 1. Concl. 54. n. 67.* Usurariorum libros quod attinet, hi contra ipsos plenam faciunt fidem, *CLEMENT. I. §. 1.* pro ipsis vero omni fide carent, & inde ad Juramentum suppletorium deferendum minimè sufficiunt. Porro habetur usurarius feudi

incapax, quod habet annexam dignitatem, & jurisdictionem, SYLVAN. *de recognit. Feud. Dy. 100. § 104.* VULT. *L. 1. C. 4. n. 12.* quod de usurario manifesto & inemendabili accipiendum esse vult, LYNCK. *in anal. ad STRUV. Jus Feud. Cap. 9. aph. 5. n. 8.* sed qu. in genere: An pœna infamiæ hodieque sit in usu? DN. THOMASIVS *in Disf.* An pœnæ viventium eos infamantes sint absurdæ, & abrogandæ? item TITIUS *in Obs. 82. ad LAUTERB.* infamiam absurdum genus pœnæ esse censent, ast destituuntur solidis rationibus. Moderatius LYNCKER. *in Rz. 4. n. 32. Vol. 1.* scribit, rigorem LL. Justinianearum in irroganda infamia multis in capitibus non esse in observantia, vid. *L. 1. C. de Senatusc. l. 6. §. 7. C. de Postulando l. ult. C. ut lit. pend. L. 2. C. de tut. vel curat. qui satis non ded. L. 25. C. de app., nec constitutionem in L. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. esse universalem, aut tantum de improbis fœneratoribus, qui ex usuraria pravitare quæstum faciunt, esse intelligendam. Sanè quod attinet ad Placita Imp., non deprehenditur in illis in Usurarios pœna infamiæ constituta, sed tantum annullatio Contractus (sed vid. hic superius ad §. 1. adducta) atq; fortis amissio quoad quartam partem conf. *Recess. Imp. de anno 1500. 1548. Tit. 17. §. 7. 1577. Tit. 17. §. 8. it. de anno 1654. §. Anreichend. nec in Ord. Polit. Pom. de anno 1681.,* aliisque postea subsequitis legibus de pœna infamiæ quicquam constitutum reperitur, ut ita dicendum omnino videatur, nec hodiè illam infamiæ pœnam, jure civili in Usurarios constitutam, amplius esse in usu. Ad minimum, nisi Lex specialis in hoc vel illo loco hac de re expressè disponit, silentibus Imperii Romano-Germanici & patriis LL., & cum in dubio quoad pœnalìa juxta una-*



unanimem Dd. consensum semper mitior sententia sit eligenda, ideo nec Judicem temerè pœnam infamiæ Usurariis dictare posse, atqve hanc sententiam propugnavit WERNHER. in *Disf. de Licita & Illicita Usurarum exactione* Cap. 2. §. 7. & *Responsio Facult. Witteb.* confirmat. At enim vero sequimur potius sententiam MEVII in *Tract. von wucherl. Contracten* P. I. c. 5. §. 12. scribentis: welche pœna infamiæ zwar durch die Reichs-oder Breinische Constitutionen nicht aufgehoben / doch heutiges Tages also rigorosè nicht geübt wird. atqve ad eundem modum intelligendus est DN. STRYCK. in *Us. Mod ff. de Usur.* §. 48. dicens, hanc infamiam, Jure scil. Civili constitutam, hodiè non ita rigorosè attendi. Interim ejus, qui contra LL. prohibitionem nimium excessivas usuras à proximo suo accipit, existimationem apud honestos viros hodieq; lædi dubium vix recipit, cum infamia facti ipsius commissi & comes & umbra sit. Hinc effecta infamiæ, quæ respiciunt fidem usurarii, hodieq; obtinere, nulli asserere dubitamus. Itaq; existimamus, nec hodiè Usurarium ad Juramentum suppletorium admittendum, & usurario testi pravitatem usurariam opponi posse, & hac opposita & probata, eum testem omni exceptione majorem minimè esse.

## § III

Ultia Pœna in Usurarios constituta est, quod testamentum condere non possint. Jure Decretalium testamentum Usurarii valebat *cap. 9. X. de Usur.* Sed deinceps intestabiles facti, ut tamen convalescere possit Testamentum, si ante mortem usuras restituant, vel de eo caveant, c. 2. si tamen *de Usur. in. 6to.* Quinimo Testamentum fraternum, præterito fratre & instituto usurario

rio

rio per querelam inofficiosi Testamenti rescindi posse putat. JOH. ANT. de LUPIS in *Cap. quonquam X. de Usur. in 6to. in pref. n. 3.* Sed an Usurarij mortis causa donare potest? Negat simpliciter MARQV. de *Jur. Merc. L. 4. cap. 4. p. 496. n. 27.* Sed affirmat BERL. *P. 3. Concl. I. n. 27.* ex rationibus ibidem adductis. Cui accedit COCCEJUS in *J. C. ad LAUTERB. P. II. tit. de mortis caus. don. qu. 1. § 2.* ex ratione, quod donatio m. c. quoad formam sit actus inter vivos & juris privati, id quod probat LLbus ibidem adductis, hunc autem & usurarium celebrare posse conf. VASQ. *L. 3. Controv. usu freq. Cap. 6. ubi habet communem contra communem. Annon possit codicillare? Negant communiter. VASQ. all. l. n. 5. Annon valeat ejus Testamentum ad pias causas. Negat & hoc VASQ. d. l. n. 6.*

## §. IV.

IVta Poena hæc est de Jure Canonico, quod usurariis manifestis honesta sepultura denegetur. c. quia in omnibus 3. *X. de Usur.* id quod eousque extensum, ut etiam si manifestus usurarius in ultima sua voluntate mandaverit, ut læsis usuraria pravitate satisfiat, nihilominus ecclesiastica sepultura ipsi sit deneganda, donec de usuris plenariè fuerit satisfactum, STRYCK. de *Jure Sens. p. 490. n. 25.*, & ibid. *all. c. quonquam Usurarii 2. de Usur. in 6.* quod eousque extendunt, ut non solum illos, qui cadavera manifestorum usurariorum contra prohibitionem legis sepulta spoliant, omni prorsus absolvant poena, vid. BERL. *P. 5. Concl. 47. n. 34.*, sed & plane jus exhumandi iis propria autoritate concedant. SCHILTER. in *Instit. J. C. L. 2. T. 14. §. 17.* Sed ut hæc poena privationis, scil. sepulturæ locum obtineat, requirit LYNCK. *R. 4. n. 34.* frequentiam atq; perseverantiã delicti. Interim DN. BÖHM. in *Jure*

in Jure Eccles. L. 3. Tit. de sepult. 28. §. 5. dicit, rariorem hodie hujus  
 poenae esse executionem, quamvis eam in Saxonia mandato Ele&. Sax.  
 confirmatam esse appareat. CAREZ. Pr. Crim. qv. 91. n. 36. His  
 deniq; accedit & hæc poena ex Jure Can., quod Usurarius non admitti  
 debeat ad confessionem, atqve careat absolutione, usqve de usuris  
 satisfecerit, vel de satisfaciendo idoneè caverit, Cap. 2. in 610 de Usur.  
 & quæ sunt alie poenæ, quas recenset LEOTARDUS de Usur. qv. 100.  
 per tot. Has tamen poenas Canonicas in foris nostris cessare intrepidè  
 affirmant, DN. STRYCK. in Us. Mod. ff. de Usur. §. 49. it. BÖHMER. in  
 Jur. Eccles. L. 2. Tit. de for. compet. 2. §. 34. Sed an poenitentiam  
 publicam agere debeat? affirmat PETR. MÜLLER. de Poenit. publ. Cap. 5.  
 n. 69. quod tamen de manifesto usurario tantum sive convicto aut  
 confessio intelligendum est. Pomm. Kirchen-Ordnung / fol. 28. fac. 7.  
 ibi: In lasterlichen offenhahren Sünden lebet / den soll man nicht zum  
 Sacrament lassen / oder für einen Christen adreen / bis er sich öffentlich  
 bessere. Conf. Pomm. Kirchen-Agend. fol. 153. fac. 2.

## §. V.

Vta Poena quoad Constitutiones Imp. est amissio quartæ partis for-  
 tis. Adducam modò impræsentiari, Ord. Polit. Imp. de ao. 1577. tit. 17.  
 soll den vierdren Theil an seiner Haupt-Summe verlohren / ic. ic.  
 conf. TYTIUS in Jur. priv. p. 529. §. 28. BRUNNEM. ad L. 26. ff. de  
 Condit. Indeb. n. 6. Quod attinet ad Pomeraniam nostram, constat  
 ex Constitutione Sedinensi de anno 1567, die 1. Maji à Ducibus  
 Pomeraniæ olim edita, quod poena illicitas usuras accipientium fuerit  
 amissio dimidiæ partis fortis, & simul ejus, quod legitimum usurarum  
 modum, (qui tùm temporis fuit 6. in centum vid. §. 6. Cap. 1. nostræ  
 Dis.) excesserat. Ita enim verba modò adductæ Constitutionis:  
 Da aber einer etc. etc. alßdann was er NB. mehr dann Sechs genommen  
 und noch darüber / auch die heiffte Haupt-Summe unabläßig verfallen  
 seyn solle. Conf. & Confit. Eorundem Pomer. Ducum de anno 1562.  
 die 27. Decembr. Sedini data. In Ordin. nostra Polit. de anno 1681.  
 Cap. 15. von wucherlichen Contraften / & quæ ad §. 6. Cap. 1. nostræ  
 Dis. adductæ sunt Constitutiones patriæ hoc superadditum est, quod  
 in casu da jemand Monden, oder Wochen-Wucher genommen / als  
 denn

denn das ganze Capital dem Gerichte verfallen seyn solle. Sed quod concernit usuras, majus videtur habere dubium: An omnes omnino usurae, an tantum excessus usurarum legitimarum cadere debeat in commissum? quod posterius tantum affirmandum videtur propter verba mandat. de annis 1566. 1567. ibi: *Als denn was er mehr denn 6. genommen. Accedit, quod haec mandata repetita & confirmata sint in Ord. Pol. Pom. de anno 1681. in verb. Wie wir sie hienit renoviren / etc. & postea: Und Inhalts der vorangezogenen Mandaten den halben Theil / nebst den Zinsen / etc.* Alii graviter obstat, quod in dicta Ord. Pol. generaliter positum, (1) Das gestipulirte Interesse, &c. (2) Den halben Theil / nebst den Zinsen / unde colligere fortè licet, mandata ista per Ord. Polit. in eo emendata esse, ut omnes usurae commissae esse debeant. Verum cum lex nova non ita interpretanda, ut antiquiora jura corrigat KLOCK. *Vol. 1. c. 51. n. 299.* nec insolens sit, ut lex nova recipiat interpretationem, declarationem, etiam restrictionem ab antiqua, & impraesentiarum ipsa verba Ordin. Polit. *Inhalts der vorangezogenen Mandaten* restrictivam ad excessum usurarum interpretationem facere videantur, ideo magis propendimus in sententiam, nempe verba, gestipulirte Interesse, item nebst den Zinsen de excessu intelligi posse. Amissa quarta pars sortis juxta Imperii Placita Fisco applicanda est. *Rec. Imp. de anno 1530. 1548. 1577.* idem in Pomerania Juris est, vid. saepius jam add. *Ord. Polit. Cap. 15.* ib. dem Fisco zuerkandt / item, dem Gerichte geadjudiciret. Sed cum diximus in praecedentibus de amissione quartae partis sortis Fisco inferendae, qu. quis per Fiscum sit intelligendus, an scil. soli Principi vindicanda sit pars sortis amissae. Ita vult BERGER. *in Resol. ad LAUT. de Usur. qu. 2. in animadv. usq. in economia juris L. 3. tit. 8. rb. 11. nor. 2.* Ita censuit Scabinatus Lips. BARTH. *Diss. 378.* E contra pro Magistratu, imperium merum habente responderunt JCIi Jenens. apud LYNCK. *Dec. 393.* & pariter *Coll. Argent. tit. de Usur. lib. 27.* Magistratui ordinario adjudicat partem commissam, idque iure Recess. de annis 1500. & 1546. tit. von wucherlichen Contracten / atque haec sententia in Ordin. Polit. approbata videtur per verba d. Ord. dem Gerichte zu adjudiciren / dem Gerichte gänzlich verfallen seyn. An praeterea Usurarius extraordinaria quadam poena,

v. gr.

v. gr. carceris affici possit? Id quod affirmant JCti Altorfini in R. 36. n. 9. Vol. 2. edit. LEUCHTII MEY. P. 6 Dec. 402. n. 4. Coll. Argem. ut. de Usur. ib. 27. STRYCK in Us. Mod. ff. de Usur. §. 48. Sed hanc sententiam solidè & latè refellit BACHOV. ad TREUTL. Vol. 2. Disf. 2. th. 5. lit. c. eamque nec Jure Civili, nec Recessum fundatam esse asserit WERNHER. in Disf. de Licita & Illicita Usuraram exactione hujusque pœnis. Nec ab hac sententia in patria discedendum videtur, quia pœna dimidiæ vel totius fortis Creditori imposta est, & præter eam nulla imponitur, ideoque præter legem eam imponere non licet, maxime quod leges nolint quævisq; pluribus pœnis ob idem delictum subjici, l. 14. ff. de accusf.

§. VI.

At cum constet, neminem pœnis subjici posse, nisi sit convictus legitime, exurgit hic quaestio præjudicialis, quis in usuraria pravitæ sit Judex competens? Canonistæ hac de re variè sentiunt. vid. COVARR. var. Resol. L. 3. C. 3. Vulgo cognitionem de usurariis Contractibus ad Forum Eccles. referunt, vel tamen mixti fori esse dicunt. In ipsis Reccessibus Imp. cognitio simul Judicio Ecclesiastico adscripta est, Rec. Imp. de anno 1507. 1530. 1548., quod Juri Pontificio unice adscribendum venit. Conf. hic DN. BÖHMER. in Jur. Eccles. tit. de foro compet. §. 34. Quatenus de pœnitentia publica imponenda, vel censura Ecclesiastica agitur, hodieque res ad Consistorium pertinet. Sed quod attinet ad pœnam amissionis, ad Judicem secularem cognitio hodiè referenda est, conf. omnino BARTE. in Disf. 577. & ibi all. Dd. Sed quid si Debitor atque Creditor sint sub diversis Jurisdictionibus, Quis tunc erit Judex competens? Pro Judice creditoris sentit LYCKER in Dec. 393., quia Judici debitoris nulla JCtio in Creditorem, ab ipsius JCtione alias exemptum, competit. Verum quid si Magistratus Debitoris forti Creditoris apud Debitorem sub sua JCtione existentis arrestum imposuit, num hoc casu fori arresti fundatum sit, quaeritur? Hoc affirmandum ex eorum opinione est, qui ajunt, arrestum ex se fori competentiam facere, & ex causa à quovis Judice ut ut alias incompetentem rectè imponi propter Rec. de anno 1594. §. und so viel die ungleiche Meinungen. Verum ab hac recedit sententia, MEY. in Tr. de arr. Cap. 3. n. 10. & 11., ubi in arresto imponendo requi-

requirit competentiam Judicis. Interim ubi Magistratus debitoris forte ob concursus delictum in usuraria pravitate priorem sequitur sententiam, expedit Usurario, cum Judicem incompetentem agnoscere nolit, ipsi opponere exceptionem incompet. Judicis, hinc iniqui arresti. Quod si vero se competentem dixerit, tum appellare à tali sententia licet. Hoc adhuc observamus ex LYNCKER. *Decis. alb.*, quod in Saxonia ex lege publica poena amissæ sortis inter Judicem Debitoris & Creditoris ex æquis partibus dividi debeat.

## §. VII.

Ad Judicis cognitionem pertinet, an crimen sit probatum, ubi singulare hoc notandum, quod usurarius teneatur auctori edere suas rationes ad fundandam ejus actionem, ROSENER, in *Tr. de lib. Mercat. Cap. 15. n. 56. & seq.* BERL. *P. 1. Concl. 45. n. 45.* In dubio sane non presumitur contractus usurarius, maxime inter honestas personas, LYNCK. *Decis. 45 1.* Hinc qui Contractum usurarium dicit, illud probare debet. PETR. MÜLLER. *ad STROV. in. de Usur. §. 57.* Quoniam vero usuraria pravitas clam & secreto exerceri solet, CLEMENT. *tit. de Usur.*, hinc conjecturis locus datur, PETR. MÜLLER *ibid. loc.*, ubi plura habet huc pertinentia. Quando vero Contractus usurarius presumatur, late tradit BERL. *P. 2. Concl. 1. per. tot.* Superfunt quidem adhuc plura, quæ adduci possent; Sed temporis angustia urget hic vela contrahere. Quæ, quemadmodum sub Divini Numinis auspicio fuere expansa, ita jam sub ejus clypeo acquiescimus.



Greifswald, Diss., 1726-32

ULB Halle 3  
004 529 650



f

Sb.







1730 9

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

POENIS USURARIÆ  
PRAVITATIS,

PRÆSERTIM IN POMERANIA,

Quam,

Divina Gratia Adjuvante,

EX DECRETO MAGNIFICI JURISCONSULTORUM ORDINIS

In Illustri Academia Gryphica,

PRÆSIDE

VIRO Magnifico, Excellentissimo, Consultissimo

DN. PHIL. BALTHAS.  
GERDESIO,

Jcto celeberrimo, Regii Consistorii per Pomer. & Rug. Directore,  
Professore in hac Alma Gryphica Ordinario, Facultatis Juridicæ Seniore, h. t. DECANO,

FAUTORE ac PROMOTORE SUO

omni observantia colendo,

PRO LICENTIA

Supremos in Jure honores & Privilegia doctoralia  
legitime obtinendi


ERUDITORUM EXAMINI

Ad Diem Septembr. MDCCXXX. submittit

MICH. NICOL. EICHMAN,


Gryph. Pomer.

Illustris Regii Dicast. Advocatus.



GYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, R. A. T.



B.I.G.

Farbkarte #13